

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 9.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vitu functos
Ad genium hujus seculi.*

Elysium-Meam. - Die Martis 17. Feb. 1809. (Neov. 30. Jan. 1809)

In hac Angliæ a terra firma avulsione nihil opportunius accidere posset, quam si quævis regio vestitum nationi suæ congruum adsumeret, ut artefacta Angliæ, quæ tantum aeris e nostris regnis eripiant, in continente amplius non desiderentur. Verum hic ipse vestitus iis solummodo rebus constet oportet, quæ industria cujuslibet regionis parari possint. Hæc est mens cujusdam præfecti rei ærariæ in Germania, qui ea pro re Sveciam allegat.

Quid ea de re tibi videtur, optime hujus ævi genie? nonne rides? & ut adverto, antiquioris cujusdam scriptoris animadversiones de vestitu nationali factas obtrudis.

Vestitus nationalis, inquit ille, qui luxum nonnullorum pecunias profundentiam cohibet, etiam expensas totius status imminuit, & si eadem vestis omnes unierit & ab aliis discreverit, ipsum nationis genium alium efficiet. Id quidem ineptum est, ut sub quovis coelo more Parisienstum vestiantur homi-

nes, præsertim si regionis clima, vitæ ratio, & corporis constitutio aliud exigant, imo gloriosum foret sceptrum pravæ consuetudinis, quam aut ingentis nescio quis saror, aut plane e scena prodiens sæmella induxerat, confringere. Sed num hac ætate, his moribus, in hac quam incolimus, mundi parte hæc reformatio constans futura sit, id nondum est definitum.

Ubi nationalis vestitus superest, is non nisi religione, aut barbaro exterorum contemptu, qui elegantiori morum culturæ adversatur, aut imprudenti sese ab aliis distinguendi arrogantia nititur, aut influxu climatis vel paupertatis, aut voluntate sese ab aliis nationibus separandi conservatur.

Quid Mahometis adseclis suam tiaram & vestem prolixam ita caram effecit, nisi religio. Quid apud Hispanos etsi Gallorum vicinos proprium vestitum conservavit aliud, quam arrogantia? etiam Sinenses omnes more patrum suorum se vestiunt, quia eos divinos reputant, & Tartarorum similes esse nolunt.

In Africa æstus solis, in Japponia frigus dominantur; & complurium insularum in mari australi positarum incolæ putant præter se existere neminem.

Quid nobis Europam incolentibus relinquatur? Leges & exempla principum.

Leges ut primum usu receptæ jam consuetudini derogant, aut rerum, quibus antea advevimus, jacturam exigunt, displicent. Cujus palato cibi illi arrideant, quos publi-

ca auctoritas communi omnibus ratione condiri jubet? In populo bene morato constans rerum mutatio novas excitat cupiditates, quibus quandoque necessario satis fieri debet. Solus ille populus, qui agri sui limites egressus est, nunquam alienos mores, sed nec alienam sectabitur scientiam: enimque utpote rebus miserrimis contentum nullum sciendi peregrinandi aut commercia exercendi studium excitabit.

Quid vero exempla Principum? sed quis nobis polliceri audebit, eum, qui in imperio successerit, nolle intelligere, quid sibi conveniat? aulam suam splendido famulantium adparatu non magis exornari, quam uniformi mendicantium ordinum vestitu? Itaque nationalis vestitus non esset aliud, quam uniformis totius imperii vestis, quæ tamen illi so evadet sumtuosa, ut primum ars illam exornare cœperit. Etenim industria humana materiam illius poliet; præscriptum colorem exornabit, nova, neque antea visa ei adjunget tamdiu, quoad vestis nationalis quemcumque demum spendissimum Gallorum ornatum non æquaverit. Quo fiet, ut non solum privatus quisque civis, sed etiam publicum ipsum nullis parcat sumtibus, quibus nationalem vestitum nova forma, meliore materia, etiam peregre adlatis rebus exornent.

Sed de his satis: audiamus ea, quæ ex Gallia adferuntur. Litteræ Bajonna scriptæ referunt Principem Neocomensem (Neufchatel) maximæ parti exercitus in Hispania agentis modo provvisorio præesse.

Parisiis die 26. Jan. Imperator omnibus
 supremis Judiciis sacris & profanis aditum
 ad se præbuit; quibus verbis a singulis salu-
 tatus fuerit, ephemerides *Moniteur* dictæ lon-
 go ordine recensent. Circa horam diei se-
 cundam Princeps Kurakin Legatus Cæsareæ
 Majestatis Russicæ litteras creditivas legatio-
 nis suæ exhibuit, & tam universum corpus
 diplomaticum inter solita cerimoniarum so-
 lemnia in throni palatium inductum ac præ-
 sentatum fuit. Qua occasione Sua Majestas
 magnum Russiæ ordinem S. Andreæ defere-
 bat. Eodem tempore præsentati fuerunt per
 legatum Russiæ Consiliarius Intimus Comes
 Kotschubey, Comes Machichinzky, Comes
 Komarovszky, supremus Custodum corporis
 Præfectus de Tschelitschev, Consiliiarii de
 Gervais, de Schupelow, & de Kreidemann,
 DD. de Borelle, de Poliokow, de Bivotas
 & de Tolstoj, denique Generalis Princeps
 Schakovszky: per Cæsareum Legatum Au-
 striæ Comitem de Metternich: Princeps Esz-
 terházy, Comes de Paar, & de Ugarte; per
 legatum Neapolitanum Ducem de Monteleone:
 Eques Caracoiolo de Melipano; per regium
 Saxonæ Legatum: Baro de Just & Comis
 Zalusky; per regium Hispaniæ legatum: Ge-
 neralis Kindelan, ejusque filius Centurio Kin-
 delan, & eques Larrea.

Cum D. Gehres apud M. Ducem Ba-
 densem in Officio ærariali Secretarius opus
 suum chronicon Civitatis Villanæ (Weil) Suæ
 Majestati Regiæ Virtembergensi obtulisset,

sua Majestas non solum quantopere id sibi placeret, litteris 21. h. m. ad eum datis declaravit, sed etiam pretiosam Pyxidem auream ei muneri misit.

Quemadmodum in Tyroli & Helvetia ita etiam in Circulo Illerensi hac hyeme nives e montibus deciduæ grandia damna fecerunt, maxime 12. Dec. a. p. Plerique existimant motum quemdam subterraneum telluris ea die hanc commotionem excitasse: in provincia Sonneberg cum vesperi ingens nivium massa delaberetur, tres domos & duo stabula oppressit: eodem tempore altera in vicinam silvam irruens magnam ejus partem evertit, siquidem pars arborum radicitus evulsa, pars fracta aliorum delata fuerit. Hæc strages novem homines peremit, tres graviter sauciavit, inter occisos numeratur par conjugatorum, qui 5 Orphanos reliquerunt.

Petropoli 6. Jan. Vienna Cæsareus cursor publicus; Hafnia Camerarius D. Alopeus; & Aboa, quæ est urbs primaria in Finlandia secundus Classium Præfectus D. Massojedow huc advenerunt. Frigus hic est tantum, ut 24 gradum Reaumurium infra zerum æquet.

Sequens nuntium non paucos homines tanto terrore adfecit, ut aliqui jam finem mundi adfuturum portenderent. Cum nonnunquam hac praesertim aetate non leve adferat solatium, oculos in superiorem & luce plenam atmosphaerae regionem elevare, omnibus illam admirantibus notum facio & attentos esse cupio ad singulare hisque diebus ad-

parens phœnomenon. Duo lucidissimi planeta Venus & Jupiter, qui jam inde a mense Decembri vesperascente & sereno cœlo occidentalem plagam exornant, constanter ad se propius accedent, & die 27. h. m. mane Venus seu lucidior illa & dextram occupans stella Jovi proxima erit, ita ut ab eo vix ad dimidiam plenæ lunæ latitudinem absit: subinde cum illa antea infra eum videretur, supra eum sensim recedet, Jupiter paucis post diebus conspectui nostro subducetur: Venus autem utpote in maxima terræ vicinitate posita summo fulgore vesperi lucebit, & per signa Arietis ac Tauri ortum versus tendet, donec in suo ad solem accessu circa finem Maji etiam vesperi evanescat.

Phœnomenon hoc intra spatium octo tantum annorum semel evenit, ut hic planeta tanta luce in occidentali plaga esse videatur. Ut autem ibidem cum Jove ita conjungatur, id non nisi post 24 annos 5 aut 7 dies fieri solet. Postrema conjunctio accidit 29. Jan. 1785. & proxime secutura eveniet Anno 1833. d. 3. Febr. Ita Joan. Elert. Bode celeberrimus Berolinensium Astronomus.

Vienna 21. Jan. Modo regnans Impr. Turcarum Mahometes ut primum imperii possessionem adiit, id continuo litteris ad nostram Aulam Constantinopoli die 9. mensis Scheval A. 1223. Hegyræ exaratis significavit, in quibus Suxæ Majestati Cæsareo Austriæ titulum. — Imperatoris & Padischæ Austriæ contulit: & quia hæc denominatio Padischæ in

litteris notificationis a priore Imperatore Mustapha IV. ad nostram Aulam datis exmissa fuit, illæ acceptæ non fuerunt.

Voce hæc *Padischa* Turcæ Imperatorem designant eumque non solum suo regnanti principi, sed etiam Austriæ Imperatori & ob singularem favorem antea Regi Galliæ tribuebant; cæteros autem Reges *Kiai* adpellant. Ea vero somponitur ex *Pad* quod depellere, & *Schach* quod Regem significat, itaque *Padischa* denorat Monarcham, qui omnia mala depellat. Ita Hübnerus.

Secundum relationes Bajonna factas Imp. Galliæ noctu 18. Jan. ad aroem Marrac advenit. Jam autem Valdoletto ad Burgos, quod est spatium 35 horarum ille pridie equitando intra 5 horas confecit, tanta utitur in agendo celeritate.

Parisiis 27. Jan. Die 24. hujus militare judicium, quod jubente Cæsare ordinatum fuit, quemdam Raymundum de Grammont & Condurier accusatos & convictos, quod pro Anglia militem conduxissent, ad mortem damnavit. Grammont præerat olim nonnullis inquietis, propter quod etiam 7 jam annis in publicis vinculis detinebatur: interim tamen modum aliquem reperit factionem adversus patriam cudendi. Qua in re utebatur opera in plurimum Condurieri, qui plurimos jam homines ad suas partes pertraxit. Illud autem moliebantur, ut duce Grammontio quem circa finem mensis Novembris liberum fore sperabant, armis in silva Boloniensi deposi-

tis instructi litora maris occuparent: indeque ad insulam Casaream vulgo Jersey in mari Britanico sitam trajicerent. Grammont examinatus confessus est omnia, Condurier non sine aperta contradictione negabat. Decreto mortis supplicio heri adfecti sint, quin tamen in eos quos Condurier pecunia corruperat, ulla fieret inquisitio.

In hac Typographia prostant venales:

- Högyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicae, Pars I. de septem novae Legis Sacramentis, de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 54 xr. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fidei, Spe, & Charitate, Religione Revelata, ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus. 7806. 8. 1 fl.
- Ars longaevae, hilarisque vitae 1805. 8. 1 fl.
- Fedor, és Mária, vagy a' hőltig-tartó ritka hűség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos, de méltó szerentséltenségüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. 1 fl. 12 xr.
- P. Basilli Alexovics Sermones Sacri, festuales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl. quivis Tomus separatim a 2 fl.
- Hertzeg Piripionak tündér története írta Wieland után Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Ágoston. 8. 1804. 36 xr.
- Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804 20 xr.
- Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3. fl.